

De Ecclesia Sponsa Christi

Mysterium supernaturale Ecclesiae a Sancto Paulo per figuram anthropologicam Corporis Christi describitur, per metaphoram architectonicam templi spiritualis proponitur, et per imaginem sacramentariam sancti conjugii depingitur. Quae tres figurae sese mutuo complent.

Doctrina de Corpore Christi Mystico a Patribus crebro explanatur, ab Angelico Doctore etiam atque etiam explicatur et applicatur, a Theologis hujus aetatis magna cum cura evolvitur. Pius Papa XII in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis Christi* eandem doctrinam non tantum explicat et probat, sed etiam mirificam membrorum hujus corporis unionem cum Capite Christo considerat, et nos ad ferventem amorem erga Ecclesiam paterne excitat.

Cum autem metaphorae de templo sacro et de Sponsa Christi raro a Theologis considerentur, perutile esset perquirere quid de iisdem in Scriptura Sacra et in Traditione pandatur. Nostra inquisitio erit tantum de Ecclesia Sponsa Christi, et dividitur in duas partes, nam primo breviter exponemus quid de Sponsa Christi in libris inspiratis, praesertim in Epistolis Sancti Pauli, nobis reveletur, et secundo accurate investigabimus, quomodo Divus Augustinus imaginem Sponsae Christi multigenis modis exposuerit.

I

« Novum Testamentum in vetere latet, et vetus in novo patet ». Vetus autem Testamentum praedilectionem Dei erga populum suum et amorem Israël pro Deo suo sub imagine unionis sponsalis proponit, et peccata idololatriae, ab Israëlitis nonnumquam admissa, veluti adulteria spiritualia reprobant. Quae figura de conjugio

Dei et Synagogae speciatim in toto Cantico Canticorum, et in quibusdam libris prophetis reperitur ¹⁾.

Licet autem unio sponsalis inter Deum et Synagogam allegorice et mystice amorem Dei erga animam justam, et dilectionem Christi erga Matrem suam quodammodo praefigurat, imprimis tamen sensu typico mutuum amorem inter Christum et Ecclesiam annuntiat. Testimonia enim Veteris Testamenti de conjugio spirituali inter Deum et populum Israëliticum, praelucente traditione ecclesiastica, de relatione supernaturali inter Christum et Ecclesiam prophetico sensu videntur intelligenda.

Ita Novum foedus tempore messianico ineundum a Propheta Osea per imaginem unionis sponsalis annuntiabatur: *Et sponsabo te mihi in sempiternum... Et sponsabo te mihi in fide* ²⁾.

Praecursor Domini se Jesu inferiorem declarat, quando, adhibita parabola e moribus Hebraeorum desumpta, se tantum amicum sponsi vocat, et Dominum veluti verum Sponsum demonstrat. Sponsus enim multum praestat amico, cujus erat ante matrimonium mutua sponsi et sponsae nuntia transmittere, sponsamque ad sponsum adducere, ita ut amicus locum sponsi sibi nequaquam vindicare valeat, sed potius varia officia ei exhibere debeat ³⁾. Cum Joannes plebem Domino paraverit, et homines ad Jesum adducere potuerit, ut verus amicus « Sponsi » de ejus felicitate gaudebat: *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est* ⁴⁾.

Quod testimonium praecursoris, in quarto Evangelio tantum relatum, in synopticiis Evangelis ab ipso Domino, cum de praxi jejunandi interrogaretur, omnino comprobatur.

Et re quidem vera, discipuli Joannis et Pharisei privata etiam religione jejunare solebant, discipuli vero Domini sola jejunia publice imposita observabant. Qua de causa, quidam Dominum

¹⁾ Cant., I, 9, 14; II, 2, 7; et *passim*. Os., II, 19; Isai., LIV, 1-6; LXII, 5; Jerem., II, 2; Ezech., XVI, 8; Zach., VIII, 2. Infidelitas speciatim indicatur: Isai., I, 21; Jerem., III, 1; Ezech., XVI, 15; XXIII, 1-49.

²⁾ Os., II, 19, 20.

³⁾ H. L. STRACK - P. BILLERBECK, *Kommentar zum N. T. aus Talmud und Midrasch*, München, 1922, I, 500.

⁴⁾ Joa., III, 29.

rogaverunt: *Quare discipuli Joannis et Phariseorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?* ⁵⁾).

Christus autem primo respondet jejunium pro suis nunc esse intempestivum, quia, cum Ipse sit sponsus secundum testimonium Joannis, discipuli sui potius laeti fruuntur praesentia sponsi, quam ut tristes jejunent. *Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare* ⁶⁾).

Dominus secundo monet, tempus congruens ad jejunium et tristitiam advenire, cum Ipsemet Sponsus a filiis sive a discipulis separaretur, nimirum per mortem et per ascensionem, quod tempus a Sancto Marco trifariam annuntiatur: *Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt in illis diebus* ⁷⁾. Discipuli tunc jejunabunt, in signum tristitiae propter absentem Sponsum, in desiderio ad perpetuam cum Sponso caelesti unionem ⁸⁾.

« Proinde, sic Sanctus Augustinus, quia jam sponsus ablatus est, utique nobis filiis illius pulchri sponsi, lugendum est. Speciosus enim forma prae filiis hominum, cujus diffusa gratia in labiis ejus, inter manus persequentium non habuit speciem neque decorem, et ablata est de terra vita ejus. Et recte lugemus, si flagramus desiderio ejus » ⁹⁾.

Sanctus Matthaeus parabolam refert de rege, qui filio suo nuptias fecerit, et primis invitatis venire nolentibus, imo etiam servos regis occidentibus, alios homines cum bonos tum malos ad nuptias vocaverit, et de homine, qui absque veste nuptiali ad mensam discumbibat. Quae secunda pars parabola, probabiliter est compendium vel conclusio distinctae parabola, ita v. g. Buzy post Lagrange et Durand ¹⁰⁾. Regnum Dei est festum nuptiale Filii Dei, ad quod praeprimis Israëlitae invitantur, sed postea, illis non promittentibus, omnes ethnici vocantur, dum Judaei pro criminibus suis in Dei legatos puniuntur. Festum nuptiale jam inchoatum in

⁵⁾ Marc., II, 18.

⁶⁾ Marc., II, 19.

⁷⁾ Marc., II, 20. Cfr Matth., IX, 14-15; et Luc., V, 33-35.

⁸⁾ Cfr L. FONCK, S. J., *Die Parabeln des Herrn in Evangelium*, 4^a ed., Innsbruck, 1927, pag. 236-250.

⁹⁾ Sermo CCX, n. 4. MIGNE, P. L., 38, 1049.

¹⁰⁾ Matth., XXII, 1-14; cfr Luc., XIV, 16-24. D. BUZY, S. C. J., *Les paraboles*, 8^a ed., Paris, 1932, pag. 332.

terris per Ecclesiam, justos et peccatores quodammodo admittit, sed in caelo perpetuo duraturum indignos excludet.

Dominus improvise venit judicare cunctos homines in fine saeculorum, et singulas animas post mortem, ita ut vigilantia continua omnibus necessaria maneat. Quam vigilantiam Dominus per parabolas servorum vigilantium et decem virginum discipulis suis inculcat. Porro, parabola decem virginum Ecclesiam gloriosam iterum ut festum nuptiale proponit: sicuti quinque virgines prudentes ad nuptias admittuntur, et quinque virgines fatuae a festo nuptiali excluduntur, ita tempore parousiae fideles providi in festo nuptiali caelorum proemium consequentur, sed christiani improvidi a festo nuptiali caelesti arcentur ¹¹⁾.

Perfecta unio sponsalis inter Christum et Ecclesiam in caelis tantum habetur, testante Sancto Joanne in Apocalypsi: *Gaudemus, et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus praeparavit se* ¹²⁾; *Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis; et locutus est mecum, dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni* ¹³⁾.

Illi autem, qui tamquam virgines prudentes ad festum nuptiale admittuntur, beati dicuntur: *Et dixit mihi: Scribe: Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt* ¹⁴⁾.

Epistola ad Ephesios est vera tractatio de Ecclesia, nam prima pars dogmatica mysterium corporis Christi et divina beneficia in eodem mysterio Ephesiis collata considerat, et altera pars paraenetica adhortationem generalem ad unitatem ac sanctitatem et monita specialia pro familiis christianis proponit. Apostolus familiam considerat ut parvam Ecclesiam in Christo, ita ut relationes mutuae mulierum et virorum, filiorum et parentum, servorum et dominorum habitudine nostra ad Christum nitantur, et praecepta moralia circa vitam domesticam propter Christum et in Christo servanda sint ¹⁵⁾.

Porro, in describendis mutuis officiis mulierum et virorum, Sanctus Paulus exhortatur uxores, ut viris suis subditae sint, sicut

¹¹⁾ *Matth.*, XXV, 1-13. Vide D. BUZY, o. c., pag. 474-498; et L. FONCK, o. c., pag. 572-596.

¹²⁾ *Apoc.*, XIX, 7.

¹³⁾ *Apoc.*, XXI, 9. Cfr XXI, 2 et XXII, 17.

¹⁴⁾ *Apoc.*, XIX, 9.

¹⁵⁾ Cfr J. M. VOSTÉ, O. P., *Commentarius in Epistolam ad Ephesios*, editio 2^a, Romae, 1932, pag. 233.

Ecclesia Christo, et admonet viros de officio diligendi uxores, sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Relationes autem inter virum et mulierem simillimae sunt habitudini inter caput et corpus, eo quod, secundum notam figuram in Genesi indicatam et a Christo comprobata, maritus et uxor in unam carnem uniantur. Itaque, Christus est insimul caput et sponsus Ecclesiae, et Ecclesia est corpus et sponsa Christi, eo quod sponsus sit caput mulieris, et sponsa sit veluti corpus et caro mariti. Imo, morte sua Christus etiam Salvator corporis vel sponsae existit ¹⁶⁾.

Hisce prae notatis, verba Apostoli primo ad mulieres, deinde ad viros, paucis explicamus.

Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino ¹⁷⁾, id est, uxores submissae sint atque oboediant suis respectivis maritis, ac si oboedientia, quam praestant viris suis, ipsi Domino Jesu praestarent, cujus auctoritate et amore omnes in unum corpus et unam familiam ligantur.

Quae ratio ab Apostolo statim indicatur: *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae: ipse Salvator corporis ejus* ¹⁸⁾. Maritus dicitur caput mulieris, utpote ejus superior, rector et defensor, sicuti Christus existit caput Ecclesiae, quam instituit, regit et tuetur, interne per gratiam Spiritus sui, externe per hierarchicam auctoritatem. Praeterea, Christus sanguine suo redemit Ecclesiam, nam: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* ¹⁹⁾.

Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus ²⁰⁾. Sed probabilius retinet sensum adversativum, licet quidam malunt illud intelligere sensu resumptivo: vicissim. Proinde, sicut Ecclesia, quamvis sit corpus Christi, etiam ut sponsa ei oboediat in omnibus, ita mulieribus generalis submissio commendatur in omnibus, intra limites scilicet legis naturae et Dei.

In sequentibus, oratio convertitur ad viros.

Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ²¹⁾. Sanctus Joannes Chrysostomus pulchre

¹⁶⁾ Cfr L. CERFAUX, *La Théologie de l'Eglise suivant Saint Paul*, Paris, 1942, pag. 267-268.

¹⁷⁾ *Ephes.*, V, 22.

¹⁸⁾ *Ephes.*, V, 23.

¹⁹⁾ *I Joa.*, II, 2.

²⁰⁾ *Ephes.*, V, 24.

²¹⁾ *Ephes.*, V, 25.

exponit haec verba Apostoli: « Vidistine mensuram oboedientiae ? Audi etiam mensuram dilectionis. Vis tibi oboedire uxorem, sicut Christo Ecclesiam ? ipse quoque ejus curam gere, sicut Christus Ecclesiae: etiamsi animam pro ipsa dare oporteat, etiamsi quodvis sustinere et pati, non recusabis ; et si haec passus fueris, nihil adhuc tale fecisti quale Christus » ²²⁾).

Trifaria intentio Christi in diligenda Ecclesia ab Apostolo indicatur, ita tamen ut scopus sanctificandi Ecclesiam potius ter manifestetur, quam ut triplex distinctus scopus denotetur.

Et primo quidem, Christus se tradidit pro Ecclesia, *ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae* ²³⁾. Metaphora balnei in praesentiarum desumitur ex balneo sponsae ante matrimonium, et optime adaptatur balneo spirituali in sacramento baptismatis. Et re quidem vera, Christus sponsus Ecclesiam sponsam lavat et sanctificat sanguine suo per lavacrum aquae in verbo, quod significat vel formam sacramenti vel confessionem fidei. Vox autem « vitae » deest in textu originali.

Christus se tradidit secundo, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi* ²⁴⁾. Ipse Sponsus sibi salvavit et ornavit Sponsam Ecclesiam, nam Christus non dilexit Ecclesiam, quia erat sancta et pulchra, sed ut eam redderet sanctam seu gloriosam, sine macula deformitatis aut ruga vetustatis aut qualibet foeditate, quae in sponsa displicet. Christus curabit, ut sponsa sua sit semper juvenis et speciosa.

Christus se tradidit tertio, *ut (Ecclesia sua) sit sancta et immaculata* ²⁵⁾. Quaenam autem Ecclesia ut sancta exhibetur ? Alii intelligunt Ecclesiam triumphantem, caelestem ; alii vero Ecclesiam militantem, terrestrem, sed abeunt in diversas vias ad explicandam existentiam peccatorum in Ecclesia. In secunda parte dissertationis hanc quaestionem iterum considerabimus, et mentem Sancti Augustini speciatim determinabimus.

Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit ²⁶⁾. Oportet ut viri diligant

²²⁾ Vide VOSTÉ, o. c., pag. 236.

²³⁾ Ephes., V, 26.

²⁴⁾ Ephes., V, 27 a.

²⁵⁾ Ephes., V, 27 b.

²⁶⁾ Ephes., V, 28.

uxores suas proprias quia, propterea quod uxores sunt viris tamquam corpora sua. Parallelismus cum exemplo Christi hunc sensum exigit: uxor est corpus viri, sicut Ecclesia est Corpus Christi. Et re quidem vera, Ecclesia est Sponsa et Corpus mysticum Christi, quia Christum quasi perpetuat in tempore et extendit in spatio, sicuti etiam uxor virum perpetuat et ejus vitam prorogat in terra.

Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed potius, natura stimulante, nutrit et fovet eam seu alit et vestimentis protegit, *sicut Christus Ecclesiam nutrit et fovet per gratias et alia dona, praesertim per Eucharistiam.* Apostolus non dicit: Quia Ecclesia est corpus Christi, sed *Quia membra sumus corporis ejus* ²⁷⁾, cum ipsi Ephesii omnesque Christiani mystico sensu constituent corpus Christi. Sanctus Paulus scribit ad Romanos: *Ita multi unum corpus sumus in Christo* ²⁸⁾; et ad Corinthios: *Vos autem estis corpus Christi* ²⁹⁾. Verba *De carne ejus et de ossibus ejus* desunt in codicibus majoris auctoritatis.

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem (vulg. *suam*), *et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una* ³⁰⁾. Tanta est dilectio sponsi erga sponsam, ut pro ipsa parentes relinquat; tam intima est unio inter conjugatos, ut sint in carnem unam. Qua unione antea nitebatur Apostolus, ad mutuam dilectionem inter sponso inculcandam, cum dixerit: *Nemo unquam carnem suam odio habuit.*

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia ³¹⁾. Sermo non est de ultimo Novae Legis Sacramento, sed de ipso conjugio naturali, a Deo instituto, quod mysticam seu spirituales unionem inter Christum et Ecclesiam significat. Ex unione inter Adam et Evam nascuntur homines secundum naturam; ex unione inter Christum et Ecclesiam nascuntur filii Dei in gratia.

Professor L. Cerfaux apposite scribit de hac comparatione: Paul cite solennellement et *in-extenso* la Genèse et il y découvre une signification mystique profonde: cette union et cet amour de l'homme pour la femme visait, par dessus le mariage, l'union du Christ et de l'Eglise; de même que le premier Adam et le second

²⁷⁾ Ephes., V, 29-30.

²⁸⁾ Rom., XII, 5.

²⁹⁾ I Cor., XII, 27.

³⁰⁾ Ephes., V, 31.

³¹⁾ Ephes., V, 32.

se correspondent, celui-là dans l'ordre charnel, celui-ci dans l'ordre spirituel, ainsi le premier mariage et le second, c'est-à-dire celui du Christ et de l'Eglise, qui est spirituel. Désormais le mariage chrétien portera l'image de l'union spirituelle du Christ avec son Eglise » ³²⁾).

Concludendo, Apostolus repetit praecepta praecedentia: *Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum* ³³⁾. Maritus diligat uxorem sicut alterum ego, quasi unio esset realis in unam personam, et uxor timeat maritum suum, non metu servili, sed timore reverentiae et officiosae subjectionis. Quamvis conjugati sibi mutuo membra sint, et sese invicem diligere debeant, tamen non est stricta aequalitas inter illos, quia viro principatus competit. Idem prorsus dicendum de habitudine inter Christum et Ecclesiam.

II

Sanctus Augustinus non tantum in enarrationibus in Psalmos et in sermonibus, sed etiam in quibusdam epistolis et in scriptis polemicis praesertim contra Donatistas docet Christum esse caput Ecclesiae, et Ecclesiam esse corpus Christi, ita ut quasi unam personam efforment et unam vocem proferant.

Sanctus Doctor hanc unionem inter Christum et Ecclesiam ut maxime pretiosum donum Dei aestimat: « Nullum majus donum praestare posset Deus hominibus, quam ut Verbum suum per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tanquam membra coaptaret » ³⁴⁾. Doctrina de hac unionem saepissime inculcatur, utpote auditoribus valde utilis: « Commendamus autem saepius, nec nos piget iterare quod vobis utile est retinere, Dominum Nostrum Jesum Christum plerumque loqui ex se, id est ex persona sua, quod est caput nostrum; plerumque ex persona corporis sui, quod sumus nos et Ecclesia ejus; sed ita quasi ex unius hominis ore sonare verba, ut intelligamus caput et corpus in unitate integritatis consistere, nec separari ab invicem » ³⁵⁾. « Multa ergo membra ejus,

³²⁾ L. CERFAUX, o. c., pag. 268.

³³⁾ Ephes., V, 33.

³⁴⁾ Enarrat. in Ps., in Ps. 85, n. 1. P. L. 37, 1081.

³⁵⁾ Enarrat. in Ps. 40, n. 1. P. L. 36, 453.

sub uno capite ipso Salvatore nostro charitatis et pacis vinculo colligata, sicut nosse dignamini, quoniam saepissime audistis » ³⁶⁾).

Crebro pariter Christus ut Sponsus et Ecclesia ut Sponsa a Sancto Episcopo denotantur, ita in interpretanda parabola de nuptiis filii regis. « Induite vos vestem nuptialem: vos alloquor, qui necdum habetis. Jam intus estis, jam ad convivium acceditis, et vestem in honorem sponsi nondum habetis: vestra adhuc quaeritis, non quae Jesu Christi. Vestis enim nuptialis in honore accipitur conjugationis, id est sponsi et sponsae. Nostis sponsum: Christus est. Nostis sponsam: Ecclesia est » ³⁷⁾).

Manichaei acriter reprobantur, quia audent asserere suam societatem sacrilegam et immundam constituere sponsam Christi ³⁸⁾, et Donatistae irridentur, eo quod sponsum invisibilem in caelo admittere et sponsam visibilem in terris negare audeant: « Sponsus in caelo est, sponsa in terra est: ille super omnes caelos, illa super omnem terram. O haeretice, credis quod in caelo non vides, negas quod in terra vides » ³⁹⁾. Saepe indicatur, quomodo a sponso manifestari debeat sponsa, ne erremus: « Sponsus Christus, sponsa Ecclesia. Ab sponso cognoscimus sponsam. Dicat nobis ipse spon- sus, quam habet sponsam, ne fortassis erremus » ⁴⁰⁾.

Ad mentem ipsius Apostoli, Divus Augustinus docet Christum esse sponsum quia caput, et Ecclesiam esse sponsam quia corpus, ita ut omnimoda aequivalentia inter duas figuras jugiter asseratur. « Unus homo caput et corpus, unus homo Christus et Ecclesia, vir perfectus, ille sponsus, illa sponsa: sed *erunt*, inquit, *duo in carne una* (Gen., II, 24) » ⁴¹⁾. « Fit ergo tanquam ex duobus una quaedam persona, ex capite et corpore, ex sponso et sponsa. Nam unitatem personae hujus miram et excellentem commendat etiam Isaías Propheta: nam loquens etiam in eo Christus in prophetia ait: *Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento* (Isai., LXI, 10) » ⁴²⁾. « Et quomodo sponsum et sponsa, sic

³⁶⁾ *Enarrat. in Ps.* 69, n. 1. P. L. 36, 866. Cfr *Enarrat. in Ps.* 140, n. 3. P. L. 37, 1817; in *Ps.* 142, n. 3. P. L. 37, 1846.

³⁷⁾ *Sermo* 90, n. 6. P. L. 38, 563.

³⁸⁾ *Contra Faustum Manichaeum libri* 33, L. 15, c. 3. P. L. 42, 304.

³⁹⁾ *Sermo* 47, n. 19. P. L. 38, 308.

⁴⁰⁾ *Sermo* 183, n. 10. P. L. 38, 991.

⁴¹⁾ *Enarrat. in Ps.* 18, n. 10. P. L. 36, 161.

⁴²⁾ *Enarrat. in Ps.* 30, n. 4. P. L. 36, 232.

caput et corpus: quia caput mulieris vir. Sive ergo dicam caput et corpus, sive dicam sponsum et sponsam: unum intelligite » ⁴³⁾.

In comprobationem hujus doctrinae, verba Domini et Apostoli: *Erunt duo in carne una* (Matth., XIX, 5), quod sacramentum magnum est in Christo et in Ecclesia (vide *Ephes.*, V, 31, 32), frequentissime citantur et explicantur ⁴⁴⁾.

Christus ut homo est mysticum caput et sanctus sponsus Ecclesiae. Anno 400 jam contra Faustum Manichaeum dicitur: « Cum sit Deus apud Patrem, per quem facti sumus, factus est per carnem particeps nostri, ut illius capitis corpus esse possemus » ⁴⁵⁾. Eadem doctrina in Enarrationibus in Psalmos et in Sermonibus inculcatur: « Neque enim, ut nonnulli dixerunt, caro sola erat et Verbum; sed et caro, et anima, et Verbum: et totum hoc unus Filius Dei, unus Christus, unus Salvator; in forma Dei aequalis Patri, in forma servi caput Ecclesiae » ⁴⁶⁾. « Nam ut noveritis, quia unus homo est sponsus et sponsa, secundum carnem Christi, non secundum divinitatem: nam secundum divinitatem quod est ille, nos esse non possumus; quia ille creator, nos creatura; ille effector, nos facti; ille conditor, nos conditi: sed ut essemus cum illo unum in illo, caput nostrum esse voluit, accipiendo carnem ex nobis, in qua moreretur pro nobis: ut noveritis ergo quia hoc totum unus est Christus, per Isaiam dicit: *Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam induit me ornamento* (Isai., LXI, 10). Ipse sponsus, ipse sponsa. Ipse plane sponsus in capite, sponsa in corpore » ⁴⁷⁾.

Ecclesia universalis seu catholica, in loco et in tempore, gaudet dignitate corporis et sponsae Christi: « Corpus autem ejus est Ecclesia; non ista aut illa, sed toto orbe diffusa; nec ea quae nunc est in hominibus qui praesentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt ante nos, et his qui futuri sunt post nos usque in finem saeculi » ⁴⁸⁾. « Tota Ecclesia ejus quae ubique diffusa est, corpus ipsius est, cujus est ipse caput. Non

⁴³⁾ *Sermo* 341, c. 10, n. 12. P. L. 39, 1500.

⁴⁴⁾ Vide v. g. *Enarrat. in Ps.* 74, n. 4. P. L. 36, 949; in *Ps.* 55, n. 3. P. L. 36, 648; in *Ps.* 140, n. 3. P. L. 37, 1817; *Sermo* 45, n. 5. P. L. 38, 265; *Sermo* 91, n. 8. P. L. 38, 571; *Contra Faustum Manichaeum*, L. 12, C. 8. P. L. 42, 258.

⁴⁵⁾ *Contra Faustum Manichaeum Libri* 33, L. 12, C. 8. P. L. 42, 258.

⁴⁶⁾ *Enarrat. in Ps.* 85, n. 4. P. L. 37, 1084. Cfr *Enarrat. in Ps.* 142, n. 3. P. L. 37, 1846.

⁴⁷⁾ *Sermo* 91, n. 8. P. L. 38, 571. Cfr *Sermo* 45, n. 5. P. L. 38, 265-266.

⁴⁸⁾ *Enarrat. in Ps.* 56, n. 1. P. L. 36, 662.

solum autem fideles qui modo sunt sed et qui fuerunt ante nos, et qui post nos futuri sunt usque in finem saeculi, omnes ad corpus ejus pertinent » ⁴⁹⁾.

Loquendo contra Donatistas, Sanctus Episcopus verba Domini ad duos discipulos in die resurrectionis suae ita applicat ad Christum et Ecclesiam suam, ut manifestum sit Ecclesiam universalem nuptias fecisse cum Christo. « Dic, Domine Jesu: dic, sancte sponse, instrue nos de corpore tuo, de sponsa tua, de columba tua, quam donasti sanguine tuo, dic: *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertio die*. Ecce sponsus: dic de sponsa, imple tabulas matrimoniales. Audite sponsam... *Et praedicari in nomine ejus paenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes*. Ubi te abscondis? *Per omnes gentes, incipientibus a Jeruzalem* (Luc., XXIV, 46-47). Sic est factum. Legimus promissum, videmus impletum. Ecce lux mea, ubi est obscuritas tua? Ergo Christus est sponsus hujus Ecclesiae, quae praedicatur in omnes gentes, et pullulat et crescit usque in finem terrae, incipientibus ab Jeruzalem: hujus sponsus est Christus » ⁵⁰⁾.

Quae tamen Ecclesia universalis dicitur sponsa occulta Christi, sicut Sara fuerit Abrahae in Aegypto, quia unio spiritualis inter animas et Christum remanet invisibilis: « Est enim et Sancta Ecclesia Domino Jesu Christo in occulto uxor. Occulte quippe atque intus in abscondito secreto spirituali anima humana inhaeret Verbo Dei, ut sint duo in carne una: quod magnum conjugii sacramentum in Christo et in Ecclesia commendat Apostolus » (Ephes., V, 31-32) ⁵¹⁾.

Quemadmodum Eva a Deo facta est ex costa Adami dormientis, eique in matrimonium data fuit, sic etiam Ecclesia formata est ex latere Christi post mortem ejus, eique ut sponsa in perpetuum consociata fuit. Fundamentum hujus similitudinis a Sancto Paulo praeбетur, cum Adam vocaverit *Formam futuri* ⁵²⁾.

« Dormit Adam ut fiat Eva; moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere; mortuo Christo lancea percutitur

⁴⁹⁾ *Enarrat. in Ps.* 62, n. 2. P. L. 36, 749. Cfr in Ps. 90, sermo 2, n. 1. P. L. 37, 1159.

⁵⁰⁾ *Sermo* 183, n. 11. P. L. 38, 991-992. Cfr *Enarrat. in Ps.* 57, n. 6. P. L. 36, 678.

⁵¹⁾ *Contra Faustum Manichaeum libri* 33, L. 22, cap. 38. P. L. 42, 424.

⁵²⁾ *Rom.*, V, 14. Cfr *I Cor.*, XV, 22.

latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Cui non appareat quia in illis tunc factis futura figurata sunt, quandoquidem dicit Apostolus ipsum Adam formam futuri esse ? » ⁵³). « Quando dormivit in cruce, signum gestabat, imo implebat quod significatum est in Adam: quia cum dormiret Adam, costa illi detracta est, et Eva facta est (*Gen.*, II, 21, 22) ; sic et Domino cum dormiret in cruce, latus ejus lancea percussus est (*Joa.*, XIX, 34), et Sacramenta profluxerunt, unde facta est Ecclesia. Ecclesia enim conjux Domini facta est de latere, quomodo Eva facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere dormientis, sic ista non est facta nisi de latere morientis » ⁵⁴). « De illo latere facta est Eva, quae nos peccando mortificaret ; de isto autem latere facta est Ecclesia, quae nos pariendo vivificaret » ⁵⁵).

Cum Eva creata fuerit, afflante Spiritu Adam dixit: *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae* ⁵⁶). Quae sensu typico de Christo intelligenda sunt. quia per incarnationem patrem caelestem in forma servi reliquit, et spiritualiter reliquit synagogam, e qua natus est secundum carnem. « Quod per historiam impletum est in Adam, per prophetiam significat Christum, qui reliquit Patrem, cum dixit: *Ego a patre exivi, et veni in hunc mundum* (*Joa.*, XVI, 28). Non loco reliquit, quia Deus loco non continetur, neque aversione peccati, sicut apostatae relinquunt Deum ; sed apparendo hominibus in homine, cum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis... Item reliquit et matrem, id est Synagogam veterem atque carnalem observationem, quae illi mater erat ex semine David secundum carnem, et adhaesit uxori suae, id est, Ecclesiae, ut sint duo in carne una » ⁵⁷). « Reliquit Patrem, quia non hic se ostendit aequalem Patri: sed semetipsum exinavit, formam servi accipiens (*Phil.*, II, 7). Reliquit et matrem Synagogam, de qua carnaliter natus est » ⁵⁸).

Licet Ecclesia his in terris jam sit sponsa Christi, ducetur tantum in uxorem post reditum Domini, per unionem consummatam in

⁵³) In *Joannis Evangelium tractatus*, Tr. 9, n. 10. P. L. 35, 1463. Cfr *De Genesi contra Manichaeos libri duo*, L. 2, c. 24, n. 57. P. L. 34, 216.

⁵⁴) *Enarrat. in Ps.* 126, n. 6. P. L. 37, 1672. Cfr *in Ps.* 127, n. 11. P. L. 37, 1684; *in Ps.* 138, n. 2. P. L. 37, 1785.

⁵⁵) *Sermo* 336, n. 5. P. L. 38, 1475. Cfr *Sermo* 5, n. 3. P. L. 38, 55.

⁵⁶) *Gen.*, II, 24.

⁵⁷) *De Genesi contra Manichaeos libri duo*, L. 2, c. 24, n. 57. P. L. 34, 215-216.

⁵⁸) *Sermo* 91, n. 7. P. L. 38, 570. Cfr *Enarrat. in Ps.* 44, n. 12. P. L. 36, 501.

caelis. Cum autem Christus sponsae suae dederit arrham sanguinis suae, ipsa jam secure amabit sponsum et de ejus fidelitate numquam dubitabit.

« Et servus et ancilla es ; servus, quia populus es ; ancilla, quia Ecclesia es. Ipsa autem ancilla magnam dignitatem invenit apud Deum : uxor facta est. Sed donec veniat ad amplexus illos spirituales, ubi secure perfruatur eo quem dilexit, et cui suspiravit in ista diuturna peregrinatione, sponsa est : et accepit arrham magnam, sanguinem sponsi, cui secunda suspirat... Solus ducet, quia solus talem arrham dedit. Quis enim potest sic ducere, ut moriatur pro ea quam vult ducere ? Si enim mori pro ea voluerit, non erit qui ducat. Securus autem ille pro sponsa mortuus est, quam resurgens erat ducturus » ⁵⁹⁾. « Turpe est mulieri conjugatae non desiderare virum suum : quanto turpius Ecclesiae non desiderare Christum ? Venit vir ad carnales amplexus, et magnis votis castae uxoris accipitur : venturus est sponsus Ecclesiae ad tradendos aeternos amplexus, ad faciendos nos sibi sempiternos cohaeredes, et nos ita vivimus, ut ejus adventum non solum non desideremus, sed etiam timeamus » ⁶⁰⁾.

Ecclesia aliqua ratione vidua dicenda est, quia omnis, qui caret auxilio humano, et tantum sperat in subsidium Dei, vidua est. « Omnis Ecclesia una vidua est, deserta in hoc saeculo, si sentit illud, si novit viduitatem suam ; tunc enim auxilium praesto est illi. Nonne agnoscitis istam viduam in Evangelio, fratres mei, cum diceret Dominus oportere semper orare, et non deficere ?... Si audivit iudex malus viduam, ne taedium pateretur, Deus non audit Ecclesiam, quam hortatur ut deprecetur ? » ⁶¹⁾. « Ideo Ecclesia vidua, quasi absente sponso, absente viro. Veniet ille, qui illam modo protegit, non visus, sed desideratus » ⁶²⁾.

Christus, caput et sponsus, et Ecclesia, corpus et sponsa, in unam personam et in unam carnem copulantur, itaque mysticam unionem matrimonialem verificant secundum verba Apostoli. Cum autem duo sint in carne una, erunt pariter duo in voce una, et in passione una.

⁵⁹⁾ Enarrat. in Ps. 122, n. 5. P. L. 37, 1633.

⁶⁰⁾ Sermo 361, n. 19. P. L. 39, 1610. Cfr *De diversis quaestionibus* 83 liber unus. Q. 59, n. 4. P. L. 40, 47.

⁶¹⁾ Enarrat. in Ps. 131, n. 23. P. L. 37, 1726.

⁶²⁾ Enarrat. in Ps. 145, n. 18. P. L. 37, 1897.

« Christum cum audis, noli sponsum a sponsa separare, et intellige magnum illud sacramentum: *Erunt duo in carne una* (Ephes., V, 31). Si duo in carne una, quare non et in voce una ? » ⁶³). « Unus enim homo cum capite et corpore suo Jesus Christus, salvator corporis et membra corporis, duo in carne una, et in voce una et in passione una ; et cum transierit iniquitas, in requie una » ⁶⁴). « Patitur adhuc Christus pressuram, inquit (Apostolus) ; non in carne sua, in qua ascendit in caelum, sed in carne mea, quae adhuc laborat in terra » ⁶⁵).

Unio autem inter Christum caelestem sponsum et Ecclesiam terrestrem sponsam, per virtutes spei et charitatis accipitur.

« Et corpus in capite suo est secundum Apostolum dicentem: *Et simul resuscitavit, et simul sedere fecit in caelestibus* (Ephes., II, 6). Et nos ibi sedemus, et ipse hic laborat: nos ibi sedemus secundum spem, et ille hic nobiscum est secundum charitatem. Haec compago tanquam unius hominis facit duos in carne una, sponsum et sponsam. Unde et ipse Dominus dicet: *Igitur jam non duo, sed una caro* (Matth., XIX, 6) » ⁶⁶).

Sponsa a Christo conducta, a multis Patribus intelligitur Ecclesia gentium, quae spiritualiter fornicata erat in polytheismo, sed per Salvatorem ad virginitatem verae fidei reducitur et in conjugem virginalem eligitur ⁶⁷). Sanctus Augustinus docet universalem Ecclesiam antea fuisse meretricem, sed dealbatam et virginem factam esse per virtutem et passionem Christi.

« Rex tuus, et ipse est sponsus tuus. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata. Quidquid habes unde illi placeas, ab illo habes » ⁶⁸). « Dealbata, illuminata, quia non per se alba. Prius, inquit, fui blasphemus (I Tim., I, 13) ; et item, *Fuimus enim et nos aliquando natura filii irae, sicut et caeteri* (Ephes., II, 3). Accedit gratia illuminans et dealbans: primo nigra fuisti, sed facta es alba ex gratia illius... Nonne ista est quae jacebat in coeno iniquitatum ? Nonne ista est quae jacebat

⁶³) Enarrat. in Ps. 34, sermo 2, n. 1. P. L. 36, 333.

⁶⁴) Enarrat. in Ps. 61, n. 4. P. L. 36, 730.

⁶⁵) Enarrat. in Ps. 142, n. 3. P. L. 37, 1846.

⁶⁶) Enarrat. in Ps. 55, n. 3. P. L. 36, 648.

⁶⁷) Cfr S. TROMP, *Ecclesia Sponsa Virgo Mater*, Gregorianum 18 (1937), 12-13.

⁶⁸) Enarrat. in Ps. 44, n. 26. P. L. 36, 510. Cfr Enarrat. in Ps. 95, n. 7. P. L. 37, 1232.

in fornicatione idolorum ? Nonne ista est quae immunda erat in omni cupiditate desiderioque carnali ? » ⁶⁹⁾. « Sic se habet Ecclesia catholica mater nostra vera, vera illius sponsi conjux. Honoremus eam, quia tanti Domini matrona est. Et quid dicam ? Magna est sponsi et singularis dignatio: meretricem invenit, virginem fecit. Quia meretrix fuit, non debet negare, ne obliviscatur misericordiam liberantis. Quomodo non erat meretrix, quando post idola et daemonia fornicabatur ? Fornicatio cordis in omnibus fuit: in paucis carne, in omnibus corde. Et venit, et virginem fecit. In fide virgo est » ⁷⁰⁾.

Sanctus Augustinus omnino docet Ecclesiam, sponsam Christi, esse sanctam, sed eandem non habere maculam aut rugam, in sola caelesti Ecclesia verificabitur. Cum in libris septem de Baptismo contra Donatistas quater indicaverit verba Sancti Pauli de Ecclesia sine macula aut ruga, in retractationibus monet: « Ubicumque in his libris commemoravi, *Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* (Ephes., V, 27) ; non sic accipiendum est quasi jam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: *Dimitte nobis debita nostra* » ⁷¹⁾.

Universa seu catholica Ecclesia jugiter petit a Deo, ut debita seu peccata dimittantur ei. « Hanc orationem dicit universa Ecclesia, quam mundat Salvator lavacro aquae in verbo, ut eam sibi exhibeat gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi ; tunc utique cum perficietur in re, ubi nunc proficiendo ambulatur in spe » ⁷²⁾. « Stat Ecclesia in oratione, ut mundetur confessione: et quamdiu hic vivitur, sic stat » ⁷³⁾.

Ecclesia tamen terrestris etiam dicenda est sancta, quia ad gloriam et perfectionem Ecclesiae caelestis perducitur ⁷⁴⁾, et Sacramenta ejus, vel ab indignis aut haereticis ministris accepta, manent

⁶⁹⁾ Enarrat. in Ps. 103, sermo 1, n. 6. P. L. 37, 1340.

⁷⁰⁾ Sermo 213, n. 7. P. L. 38, 1063. Cfr Sermo 44, nn. 1, 2. P. L. 38, 258, 259.

⁷¹⁾ Libri retractationum. L. 2, Cap. 18. P. L. 32, 637-638. Cfr L. 1, Cap. 19, n. 9. P. L. 32, 617.

⁷²⁾ Epistola 187, n. 28. P. L. 33, 842.

⁷³⁾ Sermo 187, n. 7. P. L. 38, 982. Cfr De gestis Pelagii ad Aurelium Episcopum, liber unus. C. 12, n. 28. P. L. 44, 336. De nuptiis et concupiscentiis. L. 1, cap. 34, n. 38. P. L. 44, 435.

⁷⁴⁾ Libri retractationum. L. 1, Cap. 7, n. 5. P. L. 32, 593. Cfr Sermo 341, n. 11. P. L. 39, 1499.

sancta ⁷⁵⁾, et praeprimis homines sancti, etiam ante adventum Domini viventes, sunt membra ejus ⁷⁶⁾).

Quare, ad mentem Sancti Doctoris, Ecclesia Catholica est Ecclesia Sanctorum. « Mater ista, quae in sanctis omnibus intelligitur, id est Ecclesia » ⁷⁷⁾. « Secundam ergo Sabbati non debemus intelligere nisi Ecclesiam Christi: sed Ecclesiam Christi in sanctis, Ecclesiam Christi in his qui scripti sunt in caelo, Ecclesiam Christi in his qui mundi hujus tentationibus non cedunt » ⁷⁸⁾ « Ergo Ecclesia sanctorum, Ecclesia Catholica est, Ecclesia sanctorum non est Ecclesia haereticorum. Ecclesia sanctorum illa est quam praesignavit Deus antequam videretur; et exhibuit, ut videretur. Ecclesia sanctorum erat antea in codicibus, modo in gentibus: Ecclesia sanctorum antea tantummodo legebatur, nunc et legitur, et videtur. Quando solum legebatur, credebatur: modo videtur, et contradicitur » ⁷⁹⁾. Imitando Sanctum Paulum, Augustinus crebro fideles alloquitur titulo: Sanctitas vestra ⁸⁰⁾.

Dominus voluit ut discipuli sui poenitentiam agerent, et Ecclesiam suam cum area comparavit, in qua frumentum et palea miscentur. Quibus verbis nisus, Sanctus Augustinus docet malos esse cum bonis in Ecclesia, imo, malos forte numero superare bonos et certo existere inimicos ipsius Ecclesiae.

« Sunt et poenitentes in membris ejus. Non enim exclusi, et separati sunt ab Ecclesia ejus: nec omnino sibi adjungeret conjugem, nisi illa voce: *Agite poenitentiam, appropinquavit enim regnum caelorum* » ⁸¹⁾. « Area est Ecclesia hujus temporis: saepe diximus, saepe dicimus. Et paleam habet et frumentum » ⁸²⁾. « Istos male viventes in Ecclesia ostendit Dominus, quia inde est quod scriptum est in Evangelio: *quia cum crevisset herba, apparuerunt et zizania*: quia cum coeperint homines proficere, tunc incipiunt malos sentire. Haec nota sunt vobis, ex dono Dei efficitur ut cognoscantur. Sed modo toleranda sunt zizania usque ad finem

⁷⁵⁾ *De Baptismo*. L. 1, Cap. 14, n. 22. P. L. 43, 121. Cfr L. 4, Cap. 4, n. 5. P. L. 43, 156.

⁷⁶⁾ *Sermo* 4, Cap. 11, n. 11. P. L. 38, 39.

⁷⁷⁾ *Sermo* 4, Cap. 13, n. 13. P. L. 38, 40.

⁷⁸⁾ *Enarrat. in Ps.* 47, n. 1. P. L. 36, 532.

⁷⁹⁾ *Enarrat. in Ps.* 149, n. 3. P. L. 37, 1951.

⁸⁰⁾ Cfr *Sermo* 252, n. 4. P. L. 38, 1174.

⁸¹⁾ *Enarrat. in Ps.* 101, n. 1. P. L. 37, 1295.

⁸²⁾ *Enarrat. in Ps.* 25, sermo 2, n. 5. P. L. 36, 190.

messis, ne forte eradicando zizania, eradicetur simul et triticum »⁸³). « In Ecclesia hujus temporis possunt esse nobiscum: in illa vero, quae post resurrectionem futura est, congregatione sanctorum esse non poterunt. Ecclesia enim hujus temporis areae comparatur, habens mixta grana cum paleis, habens permixtos bonis malos; habitura post iudicium sine ullis malis omnes bonos »⁸⁴).

« Non possumus enim negare plures esse malos, et tam plures, ut inter eos prorsus boni non appareant, quomodo non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare quod palea sola sit »⁸⁵). « Numquid isti dies maligni sunt, quos agitat circulus solis? Faciunt malignos dies maligni homines: et sic est prope totus mundus. Inter turbas malignorum gemit paucitas frumentorum »⁸⁶).

Mali christiani acriter reprobantur: « Qui sunt inimici Ecclesiae? Pagani, iudaei? Omnibus pejus vivunt mali christiani... Attendens itaque multitudinem male viventium in Ecclesia, *Super omnes*, inquit, *inimicos meos factus sum opprobrium*. Pejus, inquit, vivunt mali in sacramentis meis, quam qui ad illa numquam accesserunt »⁸⁷). Magna quaestio est, utrum peccatores extra Ecclesiam peiores sint indignis christianis, ast procul dubio « multi amissa charitate propterea non exeunt foras, quia saecularibus emolumentis tenentur, et sua quaerentes, non quae Jesu Christi, non a Christi unitate, sed a suis commodis nolunt recedere »⁸⁸).

Christiani autem indigni non eadem ratione atque perfectione in Ecclesia manent ac fideles sancti. Et re quidem vera, Manichaei ita reprobantur: « Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiae Catholicae maledicere desinatis, vituperando mores hominum quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet »⁸⁹). Boni et mali corporali praesentia versantur quidem in Ecclesia, solummodo in die iudicii ab invicem separabuntur modo

⁸³) *Sermo* 5, n. 8. P. L. 38, 59.

⁸⁴) *Sermo* 223, n. 2. P. L. 38, 1092.

⁸⁵) *Enarrat. in Ps.* 47, n. 9. P. L. 36, 539. Cfr *Enarrat. in Ps.* 93, n. 20. P. L. 37, 1208.

⁸⁶) *Sermo* 25, n. 4. P. L. 38, 168.

⁸⁷) *Enarrat. in Ps.* 30, sermo 2, n. 6. P. L. 36, 242. Cfr *Sermo* 3, n. 3. P. L. 36, 248.

⁸⁸) *De Baptismo contra Donatistas*. L. 4, C. 10, n. 15. P. L. 43, 163.

⁸⁹) *De moribus Ecclesiae Catholicae et de moribus Manichaeorum, libri duo*, L. 1, C. 34, n. 76. P. L. 32, 1342.

definitivo, sed his in terris « affectu interim separantur boni a malis » ⁹⁰). Quare, « nec ille dicendus est esse in Ecclesia, et ad istam societatem spiritus pertinere, qui ovibus Christi corporali tantum commixtione ficto corde miscetur » ⁹¹).

Indigni modo imperfecto sunt in Ecclesia, quia, formaliter ut indigni seu peccatores, nequeunt accedere ad Ecclesiam caelestem, quae est sine macula et ruga: « Quia nec isti Ecclesiae devoti sunt, qui videntur esse intus, et contra Christum vivunt, id est, contra Christi mandata faciunt: nec omnino ad illam Ecclesiam pertinere judicandi sunt, quam sic ipse mundat lavacro aquae in verbo, ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi » ⁹²).

Qui intus sunt per Baptismum, sed a Christo separantur per vitam vitiosam, aequiparantur illis, qui foris sunt, et modo ethnicorum vivunt. « Itaque, sive intus versari videantur, sive aperte foris sint, quod caro est, caro est: sive in area in sua sterilitate perseverent, sive occasione tentationis tanquam vento extra tollantur, quod palea est, palea est. Et semper ab illius Ecclesiae quae sine macula et ruga est, unitate divisus est, etiam qui congregationi sanctorum in carnali obduratione miscetur » ⁹³). « Si zizania ea sola dicenda sunt, quae usque in finem in maligno errore perdurant; et foris multa frumenta sunt, et intus multa zizania » ⁹⁴).

Ad mentem Sancti Doctoris, peccata fidelium non maculant ipsam Ecclesiam, sed manent vitia aliena; « Sic ergo et Ecclesia Dei aliena peccata portat, non sua, tolerans usque in finem; sicut et Dominus Jesus Christus aliena portavit » ⁹⁵). Quidquid perfectionis et sanctitatis in fidelibus reperitur, Ecclesiae est et ab Ecclesia procedit; quidquid vero vitii et peccati fidelibus inest, extra et contra Ecclesiam existere dicendum est.

Licet igitur peccatores existant in Ecclesia, ipsa Sponsa Christi manet pura, sancta, Christo digna. Jacques Maritain hanc super-

⁹⁰) *Enarrat. in Ps. 8*, n. 1. P. L. 36, 109.

⁹¹) *Sermo 71*, C. 18, n. 32. P. L. 38, 462.

⁹²) *De Baptismo contra Donatistas, libri septem*, L. 4, C. 3, n. 4. P. L. 43, 155-156.

⁹³) *De Baptismo contra Donatistas, libri septem*. L. 1, C. 17, n. 26. P. L. 43, 123.

⁹⁴) *Idem*. L. 4, C. 10, n. 14. P. L. 43, 163.

⁹⁵) *Sermo 5*, n. 4. P. L. 38, 56. Cfr *Enarrat. in Ps. 138*, n. 27. P. L. 37, 1801.

naturalem formositatem Ecclesiae, non obstantibus christianis indignis et imperfectionibus justorum, ita proponit: « Les catholiques ne sont pas le catholicisme. Les fautes, les lourdeurs, les carences et les sommeils des catholiques n'engagent pas le catholicisme. Le catholicisme n'est pas chargé de fournir un alibi aux manquements des catholiques. La meilleure apologétique ne consiste pas à justifier les catholiques ou à les excuser quand ils ont tort, mais au contraire à marquer ces torts, et qu'ils ne touchent pas la substance du catholicisme, et qu'ils ne mettent que mieux en lumière la vertu d'une religion toujours vivante en dépit d'eux. L'Eglise est un mystère, elle a sa tête cachée dans le ciel, sa visibilité ne la manifeste pas adéquatement; si vous cherchez ce qui la représente sans la trahir, regardez le pape et l'épiscopat enseignant la foi et les mœurs, et regardez les saints au ciel et sur la terre; ne nous regardez pas nous autres pécheurs. Ou plutôt regardez comment l'Eglise panse nos plaies et nous conduit clopin clopant à la vie éternelle... La grande gloire de l'Eglise c'est d'être sainte avec des membres pécheurs » ⁹⁶).

Mali homines a Deo tolerantur ut ad bonam frugem se recipiant, vel ut boni ad sanctiorem vitam exerceantur, sed de nullo peccatorum scimus, utrum in malitia sit perseveraturus, an potius gratia Dei convertatur et cum justis in Ecclesia caelesti coronetur. « Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deus. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur. Utinam ergo qui nos modo exercent, convertantur, et nobiscum exerceantur: tamen quamdiu ita sunt ut exerceant, non eos oderimus; quia in eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus; et plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, et nescis » ⁹⁷).

Quotidie conspicitur lapsus bonorum et conversio malorum: « In hac quippe area possunt in palea grana deficere; possunt rursus grana de paleis consuscitari. Quotidie fiunt ista, fratres mei: plena est vita haec suppliciis atque solatiis. Quotidie qui videbantur boni, labuntur et pereunt; et rursus qui videbantur mali, convertuntur et vivunt » ⁹⁸). Oportet autem semper diligere peccatores, et odisse

⁹⁶) *Religion et culture*. Paris, 1930, pag. 60.

⁹⁷) *Enarrat. in Ps. 54*, n. 3. P. L. 36, 630.

⁹⁸) *Sermo 223*, n. 2. P. L. 38, 1093.

peccata eorum, sicuti diligimus aegrotos, et morbos eorum odio habemus ⁹⁹⁾).

Numquam desperandum nobis est de salute peccatoris, sive in Ecclesia modo indigno vivat, sive extra Ecclesiam visibilem veretur, quia soli damnati ab omni spe excluduntur. « Diabolus et angeli ejus in Scripturis sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem aeternum sint destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio, contra quos habemus occultam luctam » ¹⁰⁰⁾. His in terris autem, « de nullo desperandum est, sive qui intus talis (indignus) apparet, sive qui foris manifestius adversatur » ¹⁰¹⁾.

Salus et vita peccatoribus a sola Ecclesia Catholica conceduntur, quippe quae claves regni caelorum acceperit, et solum peccatum blasphemiae Spiritus irremissibile manet, quia consistit in impenitentia. « Haec, inquit Augustinus, sancta Ecclesia claves accepit regni caelorum ; ut in illa per sanguinem Christi, operante Spiritu Sancto, fiat remissio peccatorum. In hac Ecclesia reviviscit anima, quae mortua fuerat peccatis, ut convivificetur Christo, cujus gratia sumus salvi facti » ¹⁰²⁾. « Unum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia, ut cor impenitens caveatur ; nec aliter poenitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur Ecclesia, ubi remissio peccatorum datur, et societas spiritus in pacis vinculo custoditur » ¹⁰³⁾.

Pius SCHELKENS, O. Praem.

⁹⁹⁾ *Sermo* 4, n. 20. P. L. 38, 43.

¹⁰⁰⁾ *Enarrat. in Ps.* 54, n. 3. P. L. 36, 630.

¹⁰¹⁾ *De Baptismo contra Donatistas, libri septem.* L. 1, C. 17, n. 26. P. L. 43, 123.

¹⁰²⁾ *Sermo* 214, n. 11. P. L. 38, 1071.

¹⁰³⁾ *Sermo* 71, n. 37. P. L. 38, 466.